

dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore cententes, supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praesertim Pii Praedecessoris literas cum omnibus, & singulis in eis contentis, auctoritate Apostolica tenore praesentium confirmamus, & approbamus, ac innovamus, illisque inviolabilis Apostolica firmitatis robur adjicimus.

Confirmatio relata Constitutionis Pii V

Clausula.

§.7. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter, & inconcusse observari: Sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiti debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.8. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus, & singulis illis, quae in praesertim Pii Praedecessoris literis concessa sunt non obstante, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXI Junii MDCCXXVII. Pontificatus nostri Anno Quarto.

CLXXXVII.

Dat. 27. Junii 1727. Ann. 4

Conceditur Fratribus Carmelitis Vicaria Maranionis in Brasilia, a generali Ordine ad Magisterium in S. Theologia promotis, ut Lauream Doctoratus a Vicario Provinciali suscipere possint.

Similis facultas ab eodem Pontifice facta fuit Provinciali Provinciae Aragoniae Const. ed. 1725. Aug. 30. P. 2.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Referentur haud distinctis quibusdam aliis ejusdem Ordinis Provincialis.

§.1. Exponi Nobis nuper fecerunt Dilecti Filii Vicarius Provincialis alii que Fratres Vicariae Maranionis in Brasilia Ordinis Beatae Mariae de Monte Carmelo, quod alias postquam fel. rec. Urbanus PP. VIII. Praedecessor Noster per quosdam suas in simili forma Brevis die 27. Augusti 1624. expeditas literas concesserat quondam Theodoro Statio tunc temporis Priori generali ac professoribus Provinciae Hispaniae, & Lusitaniae ejusdem Ordinis, ut ii, qui absolutis lecturis, & exercitationibus literariis per regularia ordinis hujusmodi Instituta requisitis, ac servatis, alias servandis per eundem Priorem Generalem in Sacra Theologia Magistrum juxta ejus facultates instituti, & creati fuissent, lauream Doctoratus in Collegio Sanctae Theresiae Salmaticen. memorati Ordinis ad formam in praesertim literis praescriptam suscipere possent, nec pro ea suscipienda aliquam approbatam studii Generalis Universitatem adire tenerentur: rec. mem. Innocentius PP. VIII. etiam Praedecessor Noster indulget, quod omnes,

& singuli dictae Provinciae Lusitaniae professores quos pro tempore existens Prior Generalis Ordinis hujusmodi in eadem Sacra Theologia Magistros instituit, & creasset, praefatam Lauream Doctoratus, previo riguroso examine coram Priore generali dictae Provinciae Lusitaniae, & quatuor in ipsa Sacra Theologia Magistris, sive coram Rectore Collegii Colimbrin. Ordinis praedicti, ac illius Regentibus, & Magistris sumere valerent, ac subinde simile quoque Indultum, Fratribus Provinciae Bahien. & Fluminis Januarii itidem in Brasilia dicti Ordinis concessit, & alias prout in hinc ipsius Innocentii desuper in pari, etiam forma Brevis editis, ac supra dictis Urbani Praedecessoris literis, quarum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis haberi volumus uberius continetur.

Causa praesentis Constitutionis, & Praesentium Praedictae Vicariae.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, primum ex memoratis Indultis favore Professorum Provinciae Lusitaniae emanaverit, eo, quod enarrata concessio a memorato Urbano VIII. Praedecessore eis facta fuisset tempore, quo Rex Hispaniarum etiam Lusitaniam possidebat, sicque Religiosis tum Hispanis, tum Lusitanis praefatum Collegium Salmaticen. pro assequenda Laurea Doctorali praefata facile adire licebat; At separatis postmodum dominis, idem Indultum sine ullo effectu, ac utilitate remanserat respectu Lusitanorum, quibus propter immutatum rerum statum non amplius ad dictum Collegium libere accedere permiffum fuit; Et alterum indultum hujusmodi professoribus praedictarum Provinciae Bahien., & Fluminis Januarii propter nimiam earum ab Europa distantiam concessum fuerit; dicta vero Vicaria, Moranionis, utpote in remotissima parte vastae Regionis ipsius Brasiliae sita, longius, quam praedictae Provinciae Bahien., & Fluminis Januarii ab eadem Europa distet, nec regiae Naves, quibus ejusdem Vicariae Religiosi in Lusitaniam transfere valeat, eo unquam appellent; Nobis propterea dicti Exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis oportune providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Concessio praesentium Indulti.

§.3. Nos igitur ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodate existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore cententes, hujusmodi supplicationibus inclinatis, quod omnes, & singuli fratres expresse profelli dictae Vicariae Maranionis, quos dilectus Filius Modernus, seu pro tempore existens Prior Generalis Ordinis praedicti in eadem Sacra Theologia Magistros, servatis pariter servandis, instituerit, & creaverit, Lauream Doctoratus, previo riguroso examine coram Vicario Provinciali dictae Vicariae, & quatuor in Sacra Theologia Magistris, sive Regentibus, ac illorum approbatione, servatis ceteroquin conditionibus per Constitutiones Ordinis praedicti praescriptis ab ipsomet Vicario Provinciali suscipere libere, & licite possint, & valeant, auctoritate Apostolica tenore praesentium concedimus similiter, & indulgemus.

Clausula.

§.4. Decernentes ipsas praesentes literas firmas,

mas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiti debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Vicariae, & Ordinis praefatorum, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegii quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentis ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXV Junii MDCCXXVII. Pontificatus nostri Anno IV.

CLXXXVIII.

Dat. 27. Junii 1727. Ann. 4

Confirmatur Decretum Capituli Generalis Eremitarum S. Augustini super Constitutione numeri triginta sex Magistrorum in Provincia Aragoniae ejusdem Ordinis.

De confirmatione similis Decreti pro Provincia Beatica ejusdem Ordinis vid. hujus Const. ed. 1727. Jun. 2. P. 3.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Faci expositio.

§.1. Exponi Nobis nuper fecit Dilectus Filius Thomas Raulin Prior Provincialis Provinciae Aragoniae Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini, quod perlectis in novissimo Capitulo generali ejusdem Ordinis die prima mensis Novembris proxime praeteriti in Civitate nostra Perulua. celebrato quibusdam nostris in simili forma Brevis ad ipsum Capitulum Generale datis literis, quibus inter alia Fratres dicti Ordinis inibi congregatos diserte monuimus, quatenus in eam curam magnopere incumbere, ne Provinciae ejusdem Ordinis Magistrorum multitudine gravarentur, & quoniam Provinciam Aragoniae hoc praeceteris incommodo laborare inaudiveramus, mandavimus, ut in dicta Provincia Aragoniae triginta sex Magistrorum numerum quem nemini praeterire, & excedere liceret imposterum constitueretur, Fratres praedicti eo, quo par est, obsequio monitionibus, & mandatis nostris hujusmodi unanimiter confenserunt, & alias prout in Decreto in eodem Capitulo, seu eorum definitorio generali desuper edito, cujus tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, & inserto haberi volumus, plenius continetur.

Praesentis Provincialis d. Provinciae.

Confirmatio praed. Decr.

Ordinationes hac super re nonnullae.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dictus Thomas praemissa, quo firmiter subsistant, & serventur exactius, Apostolice confirmationis nostrae patrocinio communiti, necnon quaedam Dubia, quae super eorum intelligentia, & executione facile suboriri possent, a Nobis declarari, ac submoveri summo opere desideret. Nos ipsius Thomae votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere cupientes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore cententes, supplicationibus illius nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinatis, Constitutionem, ac praefixionem numeri triginta sex Magistrorum in supra dicta Provincia Aragoniae, sicut praemittitur factam, ac editam, desuper in dicto Capitulo, seu Definitorio generali decretum praefatum cum omnibus, & singulis in eo contentis auctoritate Apostolica tenore praesentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolica firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos Juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervernerint, supplemus, & sanamus.

§.3. Porro in ejusmodi triginta sex Magistrorum antiquum numerum duodenarium eorumdem Magisteriorum dudum a fel. rec. Clemente VIII. & Urbano, etiam VIII. Romanis Pontificibus Praedecessoribus nostris Provinciae praefatae concessam comprehendere, & includi, ac comprehendere, & inclusum esse, & fore, nec in posterum Magisteria supra numeraria in dicta Provincia concedi posse auctoritate, & tenore praesentium statuimus, & ordinamus. Volentes insuper, ut in distributione duodecim Magisteriorum praedictorum forma per praedicti Urbani Praedecessoris literas praescripta, ac in eadem Provincia diu laudabiliter observata deinceps quoque omnino servetur, atque quoties unum ex Magistris de dicto numero duodenario deesse contigerit, statim alter Frater expresse professor dictae Provinciae juxta ejus inconcussam praxim in illius locum eligatur, & subrogetur: deficientibus vero Magistris supra numeratis nullus substituat, donec omnia magisteria praefata ad praefinitum numerum triginta sex redacta fuerint: in collatione autem Magisteriorum, ut praeteritur, auctorem omnes, & singulas conditiones, ac solemnitates, quae in creatione Magisteriorum antiqui numeri duodecarii praescripta reperiuntur, prout etiam methodus, ac ordo, quos idem Urbanus Praedecessor in eorum distributione statuit, servari quoque debeant, ita nimirum, quod ex magistris sic auctis septem in Regno Aragoniae, ac totidem in Regno Valentiae, necnon alia septem in Cathalonia, & reliqua tria in Insulis Balearibus distribuuntur, quo omnes Fratres dictae Provinciae, ejusmodi gradum aliquando assequenti spe ducti, ad literarum studia, aliaque per Constitutiones dicti Ordinis ad id designata exercitia ac munere obeunda, & capefenda alacrius excitentur.

Clausula.

§.4. Decernentes ipsas praesentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri,

G g

ratorum veram, & realem, actualem, & corporalem possessionem libere apprehendere, & apprehensam perpetuo retinere possint, scutaque centum, & viginti pro una ex dictis duabus portionibus, ac dictorum locorum Montium fructus percipere, exigere, & transferre, inque duorum eorundem Professorum stipendia, ut dictum est, statuenda, aliosque necessarios Universitatis erectae usus juxta distributionem faciendam convertere libere, & licite valeant, nullius hac in re facultate requisita, itidem Apostolica auctoritate perpetuo concedas, atque indulgeas. Postremo, ut Cives Camerineses, quorum erga Apostolicam Sedem, & Romanam Ecclesiam integerrima fides semper enituit, & inter quos Collegium unius, & viginti Jurisconsultorum varii, praecipuisque Privilegiis ornatum reperitur, deinceps Jurisprudentiam alacrius profitendam, aliquo etiam eis proposito praemio excitentur, & pii operis praedicti utiliori, tutiori-que statui prospiciatur, concedimus eidem Civitati, & hominibus, qui Consilium Generale componunt, ut pro munere Capitanei, seu Judicis appellationum, quod antea ex vi Statutorum ejusdem Civitatis, seu veteris & approbatae consuetudinis, exteris tantum conferri solebat, Civem Camerinesem Jurisconsultum habilem ceteroquin, & idoneum, qui Idem Judicium, ut antea fiebat, plene exercere, omniaque alia onera eidem muneri incumbentia implere teneatur, & debeat impofterum eligere, necnon scuta quingenta circiter monetae praedictae, quae penes Depositarium dicti pii operis serventur in totidem loca Montium Cameralium ad favorem ejusdem operis pia abundantia nuncupati, quae quidem loca Montium pro omnimoda indemnitate dicti pii operis abundantia semper stare, & nunquam ex eodem distrahi quoquomodo debeant, sed illorum fructus dumtaxat respective impendere libere, & licite valeat, eadem auctoritate, licentiam & facultatem pariter indulgeas, & perpetuo impertiaris.

Clausulae penultimates.

§.5. Nos vero omnia, & singula praemissa, si per Te vigore eorundem praesentium fieri contigerint, necnon easdem praesentes literas nostras etiam ex eo, quod aliarum quarumcumque, etiam speciali nota dignarum Universitatum Rectores, & Officiales, Doctores, Professores, seu Praelectores, Procuratores, Defensores Protectores, vel Agentes, aliive quomodolibet interesse habentes ad hoc vocati non fuerint, aut ex quavis, vel quibusvis aliis causis, occasionibus, vel praetextibus de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel quocumque alio defectu notari, vel impugnari, aut alias infringi, vel quomodolibet retractari, sive etiam per Nos ipsos, ac Successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes, aut Sedem praedictam, vel illius Legatos, etiam de Latere, aut per quoscumque alios quavis auctoritate fungentes, re vocari, suspendi, restringi, limitari, vel eis in aliquo derogari nullatenus unquam posse, sed illas semper, & perpetuo validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat, & spectabit quomodolibet in futurum, perpetuo, & inviolabiliter observari debere, necnon Universitatis Studii Generalis Camerinesis hujusmodi, illiusque Rectores, Ma-

gistros, Professores, Doctores, Praelectos, Officiales, aliasque personas jam dictas super praemissis omnibus, & singulis, vel illorum occasione, etiam per alias Universitates, vel quocumque alios quavis auctoritate quomodolibet molestari, perturbari, inquietari, vel impediri nequaquam posse: Sicque & non aliter per quoscumque Judices Ordinarios, vel Delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam Caesarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vice-Legatos dictaeque Sedis Nuncios, judicari, & definiti debere; & quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus.

Derogatoris speciales.

§.6. Non obstantibus dicti Bernardi Bonjannis Episcopi voluntate praedicta, necnon hujusmodi pii operis fundatione, ac Nostrae Cancellariae Apostolicae Regula de jure quaesito non tollendo, necnon Capitulis per eundem Paulum V. Antecessorem Nostrum approbatis, aliisque omnibus, & singulis in contrarium praemissorum quomodolibet editis, & praesertim Capitulis a praedicto Paulo Praedecessore nostro, ut praefertur approbatis, necnon fe. re. Pii PP. V. de gratis interesse Camerae Nostrae Apostolicae quomodolibet concernentibus, intra certum tempus expressum in eadem Camera registrandis, & insinuandis, ac quibusvis aliis quoruncumque aliorum Romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum Jos, vel interestis ejusdem Camerae nostrae Apostolicae concernentibus, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, etiam in Synodalibus, Provincialibus, Universalibus, Generalibusque Conciliis editis, vel edendis specialibus, vel Generalibus ac dictae Civitatis Camerinesis, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, consuetudinibus, praesertim illis quibus caveri dicitur expresse ne munus Capitanei, seu Judicis appellationum jam dictum Civi Camerinesis, sed extraneo tantum conferat; Privilegiis, quoque Indultis, & literis Apostolicis quibusvis Superioribus, & personis cujuscumque status, gradus, ordinis, & conditionis existentibus, ac etiam aliis Universitatibus praedictis in genere, vel in specie sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoris, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, etiam pluries, & iteratis vicibus concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda foret, illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo vigesimo septimo Kal. Julii Pontificatus Nostri Anno Quarto.

In-

CXC.

Dat. 9. Julii 1727. Ann. 4.

Indulgetur Eremitis S. Augustini Excalceatis Congregationis Hispaniarum, & Indiarum, ut sandalium ex pelle nigri coloris uti possint.

Alia hujus Const. ed. 1726. Jan. 22. P. 2. nonnulla decernuntur pro servanda habitus uniformitate ab iisdem Fratribus quarundam Provinciarum.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Preces Fratrum d. Congregationis.

§.1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti Filii Fratres Congregationis Hispaniarum, & Indiarum Ordinis Eremitarum Sancti Augustini Excalceatorum nuncupatorum, quod ipsi sandalia ex chorda, seu cannabe, quae haecenus deferre consueverunt, deponere, ac illorum loco sandalia ex pelle nigri coloris ejusdem tamen formae, seu figurae, quam ea, quae de praesenti gestant, non minus propter eorum status, ac majorem in celebratione Sacrosancti Missae Sacrificii decentiam quam, ut se consuetudini in aliis ejusdem Ordinis Congregationibus viginti etiam hac in parte conformet, ac color dictorum sandaliorum coloris habitus, quem gestant respondeat uti posse plurimum desiderant, si nostra, & hujus Sanctae Sedis sibi super hoc licentia suffragetur, & facultas: Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Indultum praedictum.

§.2. Nos igitur dictorum Exponentium votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere cupientes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodate existunt ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, eisdem Exponentibus, ut ipsi deinceps in locum sandaliorum ex chorda, seu cannabe, illa ex pelle nigri coloris, ejusdem ceteroquin formae, seu figurae, ac ea, quae haecenus detulerunt, gerere, & deferre, illisque uti libere, & licite possint, & valeant, auctoritate Apostolica tenore praesentium concedimus, & indulgemus.

Clausulae.

§.3. Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & quodcumque spectabit in futurum in omnibus, & per omnia plenissime suffragari: Sicque per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Caesarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiti debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac praefatorum Ordinis, & Congregationis, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privi-

legis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die V. Julii MDCCXXVII. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

CXCI.

Dat. 13. Julii 1727. An. 4.

Indulgetur Votantibus Signaturae Justitiae, ut gestare possint semper, & ubique Galeri Redimiculum, Cordone vulgo nuncupatum, coloris violacei.

Alia hujus Const. ed. 1725. Maji 8. P. 1. concessus fuit usus M. tr. aliorumque insignium Canonici Metropolitanae Capuanae.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Romani Pontificis supremi gratiarum dispensatoris in Terris a Domino constituti providentia circumspecta, illos, qui continuos labores pro administranda Justitia ad publicam utilitatem, & Sedis Apostolicae honorem in dies laudabiliter sustinent, & quorum fidem, industriam, prudentiam, ac dexteritatem multis rerum experimentis spectatas habet, ea libenter concedit per quae eis aliqua fiat decoris accessio, ut eo alacrius majora eidem Sedis obsequia sua impendant, & in munus sibi demandatorum functione studiosius perseverent.

Indultum praedictum.

§.1. Itaque ad egregia dilectorum filiorum Votantium Signaturae nostrae Justitiae in Nos, & dictam Sedem fidei, & devotionis, aliaque multiplicia merita paternae dirigentes considerationis intuitum, eorumque virtutem, aliqua honoris prorogativa condecorare volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodate existunt ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, Motu proprio, ac ex certa scientia, mera deliberatione Nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, eidem Signaturae Justitiae Votantibus praesentibus, & futuris, ut ipsi omnes, & singuli Galeri redimiculum, Cordone vulgariter nuncupatum coloris violacei in quibusvis functionibus, & actibus publicis, ac privatis ubique deferre, & gestare libere, & licite possint, & valeant, tenore praesentium concedimus, & indulgemus.

Clausulae.

§.2. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari. Sicque in praemissis per quos-

tiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quancumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in premissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Provinciae, & Ordinis praedictorum etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXVII. Junii MDCCXXVII. Pontificatus Nostri Anno IV.

CLXXXIX.

Erigitur Universitas Studii Generalis in Civitate Camerinesi.

Alia hujus Const. ed. 1725. Apr. 20. P. 1. etiam fuit Collegium Theologorum in Civitate Casertensi.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Venerab. Fratri Episcopo Camerinesi, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Liberalium Disciplinarum studia, unde in rei Sacrae, & civilis rectam, absolutamque administrationem ingentia bona proveniunt, ubi praesertim in generalibus Universitatibus, & Gymnasiis Christiani adolescentes, optimis artibus, sanisque doctrinis imbuantur, per nos totius Ecclesiae Regimini a Deo prepositos, promoveri maxime decet, praecipue in Civitatibus Beati Petri Apostolorum Principis imperio subiectis, ut inde ad summam Dei gloriam, Sanctaeque Apostolicae Sedis dignitatem Populorum nostrorum spiritualis, & temporalis felicitas, benediciente Domino augeatur.

Itaque nobis dilecti filii Communitas, atque homines Civitatis nostrae Camerinesis nuper exponendum curarunt, se jamdudum in votis habuisse, ut sui liberi, & Cives in Divinis rebus, & moribus Christianis republicae gerenda maxime necessariis per optimos magistros imbuerentur; proptereaque praeter Grammaticae artis humaniorum literarum, & eloquentiae Praeceptores se multis ab hinc annis publicum, etiam Philosophiae professorem suis impensis instituisse. Cum autem idem honestum desiderium in eis magis augetur, se in generali consilio,

Preces Communitatis praedictae Civitatis pro Universitatis praefatione erectione.

quod antea elapso congregatum fuit, decrevisse Professorum numerum adhuc augere, duosque alios instituere, unum scilicet, qui Sacrae Theologiae praereret, alium vero, qui Jus Pontificium, & civile pariter traderet, utrumque eligendum ab eodem Consilio Generali Civitatis Camerinesis, cum conditionibus, & annuo honorario, suo tempore stabilendis, ut his dispositis, & introductis, Universitas Studii Generalis cum infra scriptis privilegiis, & Indultis auctoritate nostra in eadem Civitate erigeretur.

Interim eadem Communitas suam petitionem, & enixas preces Nobis exhibens rogavit, ut ex benignitate Apostolica concedere dignaremur, quatenus ad rem tam laudabilem perficiendam uti possent scutis centum, & viginti annuis monetae Romanae, quae a Camera nostra Apostolica proque illa a Theaurario Civitatis Camerinesis quotannis solvantur pro salario Capitanei, seu Judicis exteri appellationum ab eodem Consilio generali eligendo, quorum scutorum, centum, & viginti portio una applicari possit salario eorumdem Professorum Sacrae Theologiae, & utriusque Juris, reliqua autem salario memorati Judicis, & solutione onerum, quae ipse subire debeat. Praeterea eadem Communitas Camerinesis sibi a nobis concedi pariter flagitavit, ut in posterum officium, & munus proxime memorati Judicis appellationum exerceatur ab uno ex suis Civibus Jurisconsultis per Consilium Generale quotannis eligendo cum assignatione aequi salarii, & legibus, & conditionibus ab ipso generali Consilio statuendis. Non obstantibus quibuscumque dispositionibus Statuti municipalis, & Consuetudinibus in contrarium facientibus. Quia vero summa jam exposita, non sufficit pro annuo salario utriusque Professoris, Sacrae Theologiae, & Juris Canonici, ac Civilis, idem Consilium Generale decrevit, a nobis humiliter postulare, ut quotannis sibi liceret, fructus locorum Montium Cameralium non vacabilium triginta octo, atque octoginta sex centesimorum, cum obolis octo, & sexaginta piae abundantiae operi nuncupato ejusdem Civitatis olim assignatis, sumere; quod pium opus de suo instituit bon. mem. Bernardus Bonjoannes Camerinesis Episcopus eidem Civitati perpetuo largitus quingentas tritici Sarcinas, rubia, hoc est mensuras trecenta, & septuaginta quinque constituens, cujus pii operis administratio per quadam capitula a piae me. Antecessore nostro Paulo PP. V. Apostolicis literis confirmata jam fuit, civibusque, ac generali Consilio Camerinesi tradita, ita ut per tres Cives quotannis eligendos, & presidente Episcopo, eadem administratio perageret. Deinde sub re. me. Antecessore quoque nostro Clemente PP. X. cum Frumenti quantitas ejusdem pii operis superabundaret, portio Rubiorum mille vendita fuit pretio scutorum quatuor millium, sexcentorum viginti quinque, atque unus oboli monetae Romanae. Inde percepto cumque facultatibus rei necessariis impenso in emptione memoratorum locorum Montium Cameralium non vacabilium triginta octo, atque octoginta sex centesimorum cum obolis octo, & sexaginta. Cum autem totus alius pii operis abundantiae ad Rubia mille septingenta quinque jam ascendere comperiat, inde quinque millium scutorum valoris locorum Montium summa confurgit, cum-

Nonnullae etiam petitiones ad hujusmodi erectionem pertinent.

cumque scuta quingenta quinque cum obolis octoginta quinque a Depositario ejusdem pii operis abundantiae retineantur, hanc postremam summam idem Camerineses in alia loca Montium per se investiri petierunt; quandoquidem ea, quae superest frumenti quantitas, Civium indigentiam abunde explere potest, nec alias ipsa Civitas, quae etiam in districtu Populorum frequentia destituitur tritici inopiam pati potest ob Annonae copiam, quae ibidem colligitur ob vicinitatem Picensi, unde eorum indigentis commode, & tenui cum dispendio, consulere valent: licet vero in praemissis Capitulis a Paulo PP. V. approbatis, caveatur, ne idem triticum in alios usus, etiam piorum operum a Camerinesibus convertatur, nihilominus, ubi superabundaverit, in alios pios usus impendi permittitur, ita ut eodem pio opere adimpleto, si magna vis frumenti superfit, tunc salva semper, & illa remanente frumenti quantitate eidem pio operi necessaria de reliquo Mons frumentarius pro mutando erigi possit, retentis tamen pignoriibus gratis, aut libere donando frumentum pauperibus, Pupillis, Orphanis, Puellis, & Viduis, ut in iisdem Capitulis latius continetur. Hinc pro duorum Professorum congruis stipendiis, aliorumque onerum levamine, iidem Camerineses praedicta scuta centum viginti, & loca Montium memorata Universitati Studii Generalis erigenda per Nos concedi, assignari, & applicari postularunt. Quo se, sicut Camerinesium petitio subjungebat in eodem generali consilio ob praemissa, & infra scripta a Nobis, & Apostolica Sede benigne impetranda, demissas preces exhibere statuerunt Nobis pro parte communitatis, atque hominum praedictorum humillime supplicantes, ut eorum commodo, utilitati, ac decori prospicientes, eis in praedictis de benignitate Apostolica providere dignaremur.

Nos igitur Camerinum praecipuam Urbis Civitatem, quae alias fuit caput Marchiae, inde dictae, & Sedes Legati Apostolici, quaeque Episcopatu in Provincia Romana constituto, ideoque huic S. Sedi immediate subiecto, ejusdemque communitatem, atque homines specialiter favore, & gratia profectui volentes, illosque, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa laetis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendam harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, necnon pii operis hujusmodi fundationis, & capitulorum per dictum Paulum PP. V. approbatorum, & dicti Clementis PP. X. literarum, praedictaeque Civitatis statutorum respective tenores, etiam veriores, his eisdem praesentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Fraternalitati tuae per Apostolica scripta mandamus, quatenus veris existentibus narratis, & si illa diligenti examine, veritati nixa repereris, in praedicta Civitate Camerinesi Universitatem Studii Generalis, ubi praedicti, alique in posterum adjungendi Magistri, & Professores Theologiam, Jus Canonicum, & Civile, Philosophiam, Medicinam, Mathematicam, aliasque ingenuas disciplinas, atque artes publice docere, & perlegere possint, quosque

Committitur Episcopo Camerinesi erectio praedictae Universitatis.

ibi, aut etiam alibi, peracto Studio Curriculo, habiles, & idoneos reperiri contigent, ad Magisterium in Theologia, in utroque jure cumulative cum Collegio Jurisconsultorum ejusdem Civitatis, & in Medicina quoque potquam hujus artis Professor, iisdem Magistris adjunctus fuerit, servata in omnibus forma, & dispositione Viennensis, & Tridentini Conciliorum, quibus in aliquo derogare nequaquam intendimus, ad Doctoratus gradum, promovere libere, & licite possint, & valeant in omnibus, & per omnia, prout in aliis Studiorum Generalium Universitatibus per Sedem Apostolicam erectis fieri solet, Apostolica auctoritate earumdem tenore praesentium perpetuo erigas atque instituas; ac eidem Universitati Studii Generalis sic erectae, ac institutae, ejusque Praeceptoribus, & Magistris, Professoribus, Doctoribus, Praeceptoribus, Scholaribus, Officialibus, aliisque personis quibuscumque pro tempore existentibus, ut omnibus, & singulis privilegiis, & libertatibus, Immunitatibus, exemptionibus, facultatibus, favoribus, honoribus, praerogativis, praeminentiis, & gratiis gaudeant, quae in Universitatibus Studii Generalis jam erectas per viam communicationis, & alias quomodolibet collatae olim fuerunt, atque iis pari modo, & aequae ulla prorsus differentia uti, frui, & gaudere libere, & licite valeant, auctoritate, & tenore praedictis perpetuo largiaris, atque indulgeas.

Praeterea scuta centum, & viginti monetae, quae haecenus Capitaneo, seu Judici extero appellationum praedictae Civitatis per dictum Theaurarium soluta fuerunt pro una tantum portione, altera que Consilio generali dictae Civitatis sufficiens visa fuerit salario dicti Capitanei, seu Judicis appellationum, ut in ea remanente cum hujusmodi locorum Montium Cameralium triginta octo, atque octoginta sex centesimis, atque obolis octo, & sexaginta ad dictum pium opus spectantibus assignes, quia idem pium opus aliunde, ut praefertur adimpleri, & Civitas Camerinesis, ejusque districtus aliunde, etiam copia frumenti ubertim alii potest, quas portiones, & loca Montium, ideo a praedicto pio opere sive administrationis justitiae, quae a Capitaneo, seu Judice appellationum reddi solet, pique operis adimplementi lesione, & praerogativa eadem auctoritate perpetuo distrahatur; & separes. Pro duorum autem Theologiae scilicet, ac utriusque Juris Professorum, aliorumque in posterum adjungendorum congruis, & juxta providam in Consilio generali Camerinesium, semel, aut saepius habendo distributionem faciendam pro stipendiis assignandis, aliorumque onerum necessario subeundorum, & per dictum consilium Generale statuendorum tolerantia, & supportatione eadem scuta centum, & viginti pro una ex duabus portionibus praedictis tantum ab assignatione salarii hujusmodi distracta, & saepe memorata loca Montium ab opere pio, ut praefertur separata, eidem Universitati Studii Generalis per Nos erectae, & institutae juxta providam, & liberam ab eodem Consilio generali semel, aut saepius ad id convocando distributionem faciendam liceat eidem Universitati, & pro illa ejus Rectoribus, seu Ministris centum, & viginti scutorum, pro una tantum ex duabus portionibus praedictis, atque locorum Montium hujusmodi, ut praefertur distractorum, & sepa-

Necnon etiam praesentibus, ut petitiones Communitatis supra relatas, executioni mandet.

quoscumque Judices Ordinarios, & Delegates, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & alios quoslibet quacumque praeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiti debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XII. Julii MDCCXXVII. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

CXCII.

Confirmatur Decretum Generalis Conventus Congregationis Missionis circa modum dimittendi a dicta Congregatione unum ex Assistentibus, si in culpam incidat.

De potestate Superiorum Congregationis Missionis in suis Subditos vid. aliam hujus ed. 1725. Sept. 17. P. 2.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio facta. Xponi Nobis nuper fecit dilectus Filius Joannes Bonnet modernus Superior Generalis Congregationis Missionis tam suo, quam totius ejusdem Congregationis nomine, quod in novissimo Generali Conventu Parisiensi anno 1724. convocato inter alios editum fuit quoddam Decretum, quo declaratur modus, & forma dimittendi a dicta Congregatione unum ex Assistentibus Superioris Generalis, vel ejus Admonitorem, si alteruter, quod Deus avertat, in culpam cadat, quae juxta Constitutiones Congregationis dimissionem mereatur, tenoris, qui sequitur, videlicet.

§.1. Conventus unanimi voce statuendum duxit, & statuit, imposterum Assistentem a Congregatione non esse dimittendum, nisi ad plura medietate suffragia ipsius Superioris Generalis, Assistentium, & Visitorum, qui sunt in Europa, sicut pro ejus suspensione definitum fuerat in Conventu anni 1692.

§.12. aut si res dilationem non pateretur ad plura suffragia Superioris Generalis, Assistentium, Visitoris Provinciae, Superiorum quinque viciniorum Domorum, Secretariis, & Procuratoris Congregationis Assistentis Domus, si non sit ex Assistentibus Congregationis, & sex Sacerdotum, eorumque ratione vocatione antiquorum Domus, in qua commoratur Superior Generalis, quod nomine ejusdem Superioris Generalis, & totius Conventus a S. Sede confirmati est enixe postulandum.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dictus Joannes Superior Generalis statutum, seu Decretum hujusmodi quo firmiter subsistat, & fervetur exactius, Apostolica confirmationis nostrae patrocinio communi summpere desideret. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune provi-

dere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur eundem Joannem Superiorem Generalem, specialibus favoribus, & gratis profectui volentes, & a quibuscumque excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutam fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, praesertim Decretum, seu Statutum auctoritate Apostolica, tenore praesentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolica firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, firmo tamen, & in suo vigore permanente Decreto, quo Nos dudum dimissionem quondam Petri de Hymbert tunc praedictae Congregationis Assistentis approbaveramus, & confirmaveramus, quod denno auctoritate, & tenore praefatis innovamus.

§.3. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit inviolabiliter observari: sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegates, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores iudicari, & definiti debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.4. Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non quatenus opus sit dictae Congregationis, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque Indultis, & literis Apostolicis in contrarium praemissorum, quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes; illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die IV. Julii MDCCXXVII. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

CXCIII.

Erigitur Custodia S. Nicolai in Lotharinga Minorum Recollectorum de Observantia in Provinciam.

Alia hujus Const. ed. 1726. Jan. 28. P. 2. actum fuit de erectione Cenobii in Provincia Valentia.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Solicitude Pastoralis officii, quo Ecclesiae Catholicae regimini divina dispositione praesidemus Nos admonet, ut paternam Religio-

Confirmatio relati Decreti

Clausula.

Dat. 30. Julii 1727. An. 4.

Exordium.

rum Virorum Altissimi obsequiis sub arctioris vitae Instituto mancipatorum coram gerentes, felici illorum statui, ac progressui, & Religio-

Cura Leopoldi Ducis Lotharingiae ut praedictae Custodia in Provinciam eligeretur.

§.1. Cum itaque, sicut accepimus, alias dilectus Filius Nobilis Vir Leopoldus Lotharingiae, & Barri Dux non minus pro avita sua in Deum pietate, & singulari erga Ordinem Fratrum Minorum S. Francisci devotione, quam excitatus suavis odoris fragrantia in universum ejus dominium diffusa vite, ac bonae conversationis exemplo, Religiosisque in Vinea Domini laboribus dilectorum Fratrum ejusdem Ordinis de Observantia Recollectorum nuncupatorum Custodiae S. Nicolai in Lotharingia nuncupata, quae infra scriptis septem Conventibus, & Hospitiis a se, ac Majoribus suis fundatis, & erectis constat, nempe Conventibus Longivicensi, Gondrecuriensi, Dambliuensi, Confluentino, Aspermontano, Sifaldienfi, Bultunvillensi, & Hospitio Mirecuriensi, ubi Novitiatus cum tribus Sacrae Theologiae tum Scholasticae, tum Moralis, & uno Philosophiae cursibus institutus reperitur, ac quorum Religiosi Catholicae doctrinae semen longe, lateque fargere non desistunt, & exactiori Regulae, quam prosumentur, observantiae non sine ingenti Populorum edificatione sedulo incumbant, eandem custodiam, cui data occasione novos Conventus addere paratus erat, in Provinciam erigi exoptans literas ad novissimum Capitulum Generale praedicti Ordinis in Alma Urbe Nostra celebratum pro ejusmodi erectione obtinenda dedisset, quibus acceptis, idem Capitulum generale decrevit numerum, & statum Conventuum, & Hospitii praedictorum ab uno Commissario Generali dicti Ordinis prius examinandos, & illius Ministro Generali significandos fore, quam ad erectionem praedictam deveniretur, quae quidem omnia rite, & ordine adimpleta fuerunt.

Causae praesentis Constitutionis.

§.2. Verum quia juxta Statuta generalia auctoritate Apostolica confirmata, ac decreta Capitulum Generalium dicti Ordinis enarratum Conventuum numerus satis non est, ut in Provinciam erigantur, nisi specialis Nostra, & hujus S. Sedis in hac parte, ut alias saepius factum fuisse memoratur, accedat dispensatio, & facultas. Hinc est, quod Nos pio ejusdem Leopoldi Ducis desiderio hac in re quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere, simulque firmiori, & solidiori ejusdem Custodiae statui, prosperoque illius regimini, & progressui providere volentes, ac dilectorum filiorum Custodis, & Definitorum, aliorumque Fratrum Custodiae hujusmodi singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodata existunt ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes; Motu proprio, & ex certa scientia, & matura deliberatione Nostra, deque Apostolica potestatis plenitudine praedictam Custodiam tametsi non nisi septem Conventibus, ac Hospitio de praesenti constantem, sicut praemittitur, in novam Provinciam Fratrum Recollectorum dicti Ordinis,

Erectio praedictae.

quae Provincia S. Nicolai itidem nuncupari debeat, ac Capitula Provincialia pro Ministri Provincialis, Custodis, & Definitorum, aliorumque Officialium ipsius Provinciae electione, ac Congregationes, alioque congressus ad instar aliarum Provinciarum Ordinis hujusmodi celebrare, ac omnibus, & singulis praerogativis, praeminentiis, iuribus, honoribus, privilegiis gratis, & Indultis, quibus aliae ejusdem Ordinis Provinciae, tam de Jure, usu, & consuetudine, quam alias quomodolibet utuntur, fruuntur, & gaudent, ac uti, frui, & gaudere possunt, & poterunt in futurum, pariformiter, & absque ulla praerogativa uti, frui, potiri, & gaudere libere, & licite valeat, tunc praesentium sine cujusquam praerogativa in perpetuum erigimus, & instituiamus.

§.3. Decernentes ipsas praesentes literas, & in eis contenta, &c. ex eo, quod quilibet in praemissis Jus, vel interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, etiam specifica, & individua mentione & expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque cause propter quas praesentes emanarint, adductae, aut verificate, & justificatae fuerint, aut ex quavis alia, etiam quantumlibet Juridica, pia, & privilegiata causa, colore, praetextu, & capite, etiam in corpore Juris clauso, etiam enormis, enormissimae, & totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis formali, & substantiali, individuumque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, seu ad terminos Juris reduci, aut adversus illas aperiitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque Juris, facti, vel gratiae remedium intentari, vel impetrari, seu impetrato, aut etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concessio, vel emanato quempiam in Judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse, sed ipsas praesentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque, & non aliter in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegates, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apostolicae Sedis Nuncios, aliove quoslibet quacumque praeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & definiti debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula.

Detogatio.

§.4. Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non Ordinis, illiusque Capitulum Generale, & custodiae hujusmodi, aliisque quibusvis etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, Decretis, & consuetudinibus, sicut immemorabilibus; Privilegiis quoque, Indultis, & literis Apo-

Apo-

Apostolicis, etiam dicto Ordini, ejusque Superioribus, & quibusvis aliis personis, & locis sub quibusvis verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis & Decretis in genere, vel in specie in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquilita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata infererentur, & exprimerentur, iisdem praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum inferentibus, illis alias in suo robore permanentibus ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Rome apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXX. Julii MDCCXXVII. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

CXCIV.

Dat. 10. Julii 1727. An. 4.

Confirmatur Decretum Congregationis Immunitatis, quod distributiones quotidianae, quae percipiuntur per Residentiales, non comprehendantur pro subsidio Sedis Apostolicae.

Alia hujus Const. 1725. Apr. 28. P. 1. decretum fuit ut provisi de Beneficiis mediam annuatim solverent fabricae suarum respective Ecclesiarum.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Super a Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Immunitati Ecclesiasticae, & contrariis Jurisdictionibus praepositorum emanavit Decretum, tenoris qui sequitur videlicet.

Decretum predictum.

M. die anen. Discussi in Sacra Congregatione super Immunitate Ecclesiastica, & controversis Jurisdictionibus habita sub die 17. Junii 1727. = Infra scriptis Dubiis, propositis ad instantiam Cleri Regularis Dicesis, & Status Mediolani tenoris prout sequitur, videlicet = Primo an Distributiones quotidianae, quae recipiuntur per Residentiales comprehendantur, & calculanda sint sub onere contribuendi pro subsidio ex Indulto S. Sedis indicto anno 1717. = Secundo an sit locus novae repartitioni ex integro faciende ad effectum in ista calculandi omnes, & quascumque distributiones non calculatas, & quae usque ab initio erant calculanda = Tertio = An illis de utroque Clero Seculari, & Regulari competat pro rata excessus diminutio Taxae & r. specie reintegratio pro quantitate ultra propriam ratam persoluta = Eadem Sacra Congregatio sedulo de more perpensis rationibus pro parte memorati Cleri Regularis allatis rescripsit = Affirmative in omnibus = In quorum fidem. Datum Rome hac die 21. Junii 1727. F. Cardinalis S. Agnetis S. de Riccis Secretarius.

§.2. Cum autem sicut dilecti filii Clerus Regularis Dicesis, & Status Mediolanen. Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, Apostolica confirmationis Nostrae patrocinio communitur sumopere desiderent. Nos specialem ipsi Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet inordinate existant ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie abolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinatis, Decretum praesentem auctoritate Apostolica tenore praesentium approbamus, & confirmamus, illicque inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus: salva tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorundem Cardinalium.

Proces Cleri Regularis Mediolanensis pro confirmatione.

Confirmatio relati Decreti

§.3. Decernentes easdem praesentes literas, firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suisque plenarias, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari: sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiti debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Clausula

Datum Rome apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXX. Julii MDCCXXVII. Pontificatus Nostri Anno IV.

CXCV.

Confirmantur reformationes quaedam Constitutionum Ordinis Servorum B. M. V. pro Germania, & Bohemiae Provinciis.

Dat. 2. Aug. 1727. An. 4.

Alia hujus Const. ed. 1726. Aug. 8. P. 3. quaedam decreta fuerunt pro Tertiariis ejusdem Ordinis.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Debitum Pastoralis officii quo Ecclesiae Catholicae adstringimur Nos admonet, ut paternam Christifidelium divinis obsequiis sub suavi Religionis jugo mancipatorum curam gerentes, illa quae pro felici, prosperoque eorum regimine statuta, seu ad jam statutorum reformationem, & declarationem provide facta esse noscuntur, ut firma, atque illibata persistant, Apostolici praesidii robore muniamus.

Exordium

§.1. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Priores Provinciales Provinciarum Germaniae, & Bohemiae Ordinis Fratrum Servorum B. M. Virginis, quod alias dum ambe Provinciae praefatae invicem unitae reperiebantur, & unicam Provinciam constituebant, quaedam particulares Constitutiones ad Regularem obser-

Constitutiones praedictae pro Provinciae praefatae, quum unitae erant, condite fuerunt: fedelidem de visis, reformat.

servantiam in ejusmodi Provinciam inducendam, inibique conservandam condite tempore se. re. Clementis PP. XI. praedecessoris nostri auctoritate Apostolica approbate, & confirmata, ac exinde observata fuerunt; verum cum ob acquisitionem novorum Conventuum, aliasque justas, & rationabiles causas, ad divisionem ejusdem Provinciae postmodum deventum sit, & ex una duae, altera scilicet Germania, & saltera Bohemiae Provincia praefatae erectae, & institutae fuerint, enarratarum Constitutionum dispositio in omnibus suis partibus in utraque Provincia hujusmodi servari nequivit. Unde exponentes praedicti cum suorum respective Definitorum consilio facultate moderandi, augendi, & diminuendi eisdem Constitutionibus, quod opportunum visum fuisset, salva hujus Sanctae Sedis auctoritate in eisdem Constitutionibus attributa, utentes, nonnullas & ejusmodi Constitutiones, ut facilius utrique Provinciae sic erectae, & institutae aptarentur, ac executioni in eis demandarentur, eas nimirum declarando, mutando, & cassando respective, eisque aliquid addendo reformarunt, & alias prout continetur in Scriptura desuper confecta, tenoris qui sequitur videlicet.

Reformatio praedictae Constitutionum.

Addenda in Cap. I.

Et Cap. II.

Et Cap. III.

Delenda in Cap. IV. & addenda

§.2. Declarationes, mutationes, additiones, & cassationes vise, & approbate ab Eminentiis. ac Reverendis. D.D. Laurentio S. R. E. Cardinali Corsino totius Ordinis Servorum B. M. V. Protettore in Constitutionibus Ordinis Fratrum Servorum B. M. V. specialem modum vivendi in Germania praesentium. = In capite 1. n. 10. additum est, idem Ave Maria usque ad verbum Jesus inclusive dicatur etiam a Patribus Concionatoribus antequam in Cathedra Crucem faciant. In Cap. 2. num. 1. positum est, Ceremoniale nostrum num. 5. positum est, nostris necessitatibus num. 8. additum est, ita tamen ut diebus ferialibus ultra quadrantem post quintam non protrahatur, & si Completorium cum Salve Regina, & Litanis choralter, vel figuralter decantandis ante quintam finiatur, habeatur tamen brevis recollectio per medium quadrantem ultra quintam: eadem oratio mentalis per dimidium horae spatium habeatur post Matutinum diei persoluta, veruntamen ultra tertium quadrantem ad secundam nunquam protrahatur. Num. 9. Additum est, & Beati Alefii Confessoris. Num. 10. additum est de nomine, & conceptione B. M. V. & num. 11. additum est, & B. Alefii = In Cap. 2. num. 1. positum est, cum aliquis ex nostris Fratribus has Constitutiones praesentibus. num. 5. positum est eadem hac suffragia pro defunctis nostris Fratribus in Germania statuta, fiant etiam pro Fundatoribus, eorumque Conthoribus pro tempore erectae foundationis in vivis existentibus, & Fundatricibus intra Provinciam. num. 6. positum est, Vicariis Generalibus, & Prioribus Provincialibus nostris. Num. 7. positum est pro Fratribus aliarum Provinciarum, uti, & pro fororibus intra Provinciam existentibus, & additum est pro quolibet una Missa, & ante Missam cum dicitur pro fratribus aliarum Provinciarum unum Nocturnum cum laudibus Defunctorum. Num. 8. positum est Fratribus nostris has Constitutiones praesentibus, & num. 14. positum est, nostrorum Fratrum.

In Cap. V.

Addenda in Cap. VII. Addenda & delenda in Cap. VIII.

Idemque in Cap. XI.

Patres in Cap. XII.

Addenda, & delenda in Cap. XIII.

§.4. In Cap. XXIII. num. 5. positum est videant, ut adminus semel intra Mensem (si commode fieri potest) privatam disputationem habeant. Num. 8. delatum est cum Juramento, item delatum est sigillatim cum Juramento, & additum est sigillatim Prior, & Patres Discreti, vel ii, qui steterint loco Discretorum in co Conventu, in quo is ante recesserit saltem per Annum onerata sua conscientia. Num. 13. positum est proprius Lector praesideat, & delatum est, H h est,